



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

Propositio VI. Multae Prophetiae Veteris Testamenti veraces sunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

ptum quidem munus ita videtur administrasse, ut jam constare possit Libros Veteris Testamenti ab iis auctoribus esse scriptos, quorum præ se ferunt nomina, & iis circiter temporibus quibus scripti esse feruntur. Unde sequitur esse genuinos. Quod erat probandum.

PROPOSITIO QUINTA.

Multæ habentur Prophetiæ in Veteri Testamento.

LUDAM operam, si multis Propositionem hanc persequi instituiam: adeo crebra sunt per totum Vetus Testamentum vaticinia. Colligamus tamen aliqua in exemplum, ne qua pars operis hujus diligentiam nostram desideret. Ac ordiamur à nobilissima illa Prophetia, qua diversis temporibus Abrahamo, Isaac, & Jacobo promisit Deus futurum, ut in *ipsis benedicantur omnes cognationes terræ*: quæ tum demum eventum sunt completa, quum per universum orbem jacta Christianæ religionis semina adoleverunt. Cum de futuro gemellorum partu Deum Rebecca consuleret, respondit Deus: *Dux gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividuntur, populusque populum superabit, & major serviet minori.* Cum senectute confectus Isaac Jacobo filio fausta apprecaretur: *Esse, inquit, Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tue: & ad Esau: In pinguedine terre, & in rore cæli desuper erit benedictio tua. Vives in gladio, & fratri tuo servies: tempusque veniet, cum excutias, & solvas jugum ejus de cervicibus tuis.* Quæ post obitum Mosis contigerunt, perinde ut ista, quæ Jacobus lecto ex morbo decumbens, & jamjam moriturus de Manasse nepote vaticinatur: *Iste quidem erit in populos, & multiplicabitur, sed frater ejus minor major erit illo, & semen ejus crescet in gentes.* Reliquos deinde natos suos ad se accersens Jacobus: *Congregamini, inquit, ut annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis.* Totum ergo ipsius Testamentum prædictionibus ferè constat, quæ eventum Mose defuncto sortitæ sunt. Insignis quoque Balaami prophetia: *Orietur stella ex Jacob, & consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. Et erit Idumæa possessio ejus: hereditas Seir cedet inimicis suis, Israel vero fortiter aget.* Reliqua pertinent ad Amalecitas, Cinxos, & Assyrios, & valde illustria sunt. In futuris etiam prænuntiandis totum versatur Testamentum Mosis. Sin veniamus ad Psalms, multa in iis occurrent prædicta in posterum: velut in Septuagesimo Psalmo, quem licet titulus ad Salomonem referat, nonnullaque in eo de Salomone intelligi possint, pleraque tamen alio spectare, vel ipsis fatentibus Judæis, manifestum est. Sed ut reliqua desissent, Propositionem hanc aperte comprobant libri Prophetarum, quos vaticinis totos constare, ipsa lectio indicat. Pauca ergo hæc de multis selegisse sufficiat, ex quibus facile cognoscitur multas haberi Prophetias in Veteri Testamento. Quod erat probandum.

PROPOSITIO SEXTA.

Multæ Prophetiæ Veteris Testamenti veraces sunt.

CONSTABIT Propositionis hujus veritas, si ostendero multas Veteris Testamenti Prophetias ea præsignificasse, quæ eventu deinde completa sunt, ut ex tertio nostro Axiomate consequitur. Neque hic universas vaticinationes corradere animus est, quæ exitum habuerunt, sed eximias duntaxat aliquot, ad memoriam insignes, & nullis cavillationibus opportunas. Præclara illa est, quam protulit Noë, cum Chamum, & Chanaanum diris devoveret: *Maledictus, inquit, Chanaan, servus servorum erit fratribus suis.* Et fuit sane; vel cum Chanaanos in servitutem redegerunt Israëlitarum, & cum ipsorum reliquias Nabuchodonosor bello adortus edomuit; & hic & illi Semo prognati: vel cum ab Alexandro, aut Romanis Japhetho oriundis devicti sunt. Futurum prædixit Jacob ut Zabulon mare accolat: idem à Mose prædictum est, atque item fore ut Nephthali mare possideat; quod & contigit, cum Chanaanitis terra sortito divisa est: hic enim ad Genesareticum mare, ille ad Mediterraneum situs fuit. Eventu quoque comprobatum est, quod de Issachare vaticinatus est Jacobus, futurum ut

colendis agris vitam ignobilem nepotes ipsius impendant. Israëlitas ad capeffendam virtutem & mandata sua fervanda adhortans Deus in Levitico, ampliffimis præmiis propositis, quibus morigeros inciter, graviffimis in contrariam partem pœnis refractarios abfterret. *Vos, inquit, dispergam in gentes, & evaginabo post vos gladium, erique terra vestra deferta, & civitates vestra dirute.* Subnectit deinde paulo post: *Et tamen etiam cum essent in terra hostili, non penitus abjeci eos, neque sic despecti ut consumerentur, & irritum facerem pactum meum cum eis.* Quæ in Deuteronomio deinde iterando inclucat, cum alibi, tum præcipue vicefimo octavo capite: *Ducet te Dominus & Regem tuum, quem constitueris super te, in gentem quam ignoras tu & patres tui.* Atque horum veritatem res ipsa olim, hodieque comprobavit, Luculenta vero & omni admiratione digna est hæc Balaami de Israël vaticinatio: *Tolletur propter Agag rex ejus, & auferetur regnum illius:* quibus miserabilis Sautis fortuna clariffime prænuntiatur, cum per intempestivam & impiam misericordiam vitæ Agago Amalecitarum Regi, contra ac jusserrat Deus, concessa, regno ipse excidit. Splendida & hæc Arioli ejusdem prædictio: *Venient in triceribus de Italia, superabunt Assyrios, vastabuntque Ebræos, & ad extremum etiam ipsi peribunt:* quo loco si per Ebraicam vocem נתיים, quam vulgatus Interpretæ Italianam reddidit, Græcos, & Alexandrum, aut Romanos, aut utroque intelligas, manifesta erit vaticinii fides. Decimo septimo capite Deuteronomii prædicit Moses, futurum ut sibi Regem Israëlita aliquando præficiant. Vicefimo vero octavo, Judæorum, Sedeciaque adeo ipsius captivitatem Babyloniam clariffime præsignificat. Josuæ diras adversus Hierichuntis instauratorem manifestus exitus multis post annis est consecutus. *Edificavit Hiel de Bethel Jericho; in Abiram primitivo suo fundavit eam, & in Segub novissimo suo posuit portas ejus. juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Josue filii Nun.* Suum hic postulare locum memorabile illud vaticinium, quo Bethelica Jeroboami ara à Josia olim destruenda prædicitur, quod post annos circiter ducentos evenit: sed quoniam eodem libro & prædictio & eventus referuntur, neque veritas rei ex diversis scriptionum ætatibus firmari potest, pergo ad alia. Israëliti regi excidium prædixit Isaias; quodque magis mirere, tempus definitum, quo id contingeret: *Adhuc sexaginta & quinque anni, & desinet Ephraim esse populus.* Quæ partim per Salmanasarem, partim per Afarhaddonum ad exitum perducta sunt. Unde sexaginta quinque annorum illorum ducatur initium, hic non disputo: consulunt Interpretes, Babylonica quoque urbis cladem adeo aperte vaticinatus est, ac si informia rudera, quæ supersunt, oculis ipse suis lustrasset: *Non habitabitur, inquit, usque in finem, & non fundabitur usque ad generationem & generationem, nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi: sed requiescent ibi bestie, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi.* Quæ deinde non semel repetit, ac præsertim quadragesimo septimo capite. Eodem pertinent & illa Jeremiæ: *Propterea habitabunt dracones cum Faunis scariis, & habitabunt in ea struthiones, & non habitabitur ultra in sempiternum, nec exstruetur usque ad generationem & generationem.* Et hæc quoque: *Et erit Babylon in tumulos, habitatio draconum, stupor, & sibilus, eo quod non sit habitator.* Eodem pertinent & illa Psalmsi centesimi tricesimi sexti: *Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis: beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.* Quam veræ sint omnes istæ, ac præcipue Isaiæ & Jeremiæ vaticinationes, ostendit Benjamin Tudelensis, cum ait sua ætate visum illic fuisse Nabuchodonosoris palatium vastatum, serpentibus ac scorpionibus plenum. Qui plura vult, Teixeram consulat, & Petrum Vallensem, aliosque, qui peregrinationes suas literis consignarunt. Prorsus vero mirabilem de Cyro prædictionem edidit Isaias, nomine ejus expresso; dignitate quoque, ac rebus gerendis tanto ante præsignificatis, Hierosolymorum videlicet, ac Templi reparatione. *Qui dico Jerusalem, inquit Deus, habitaberis; & civitatibus Juda, edificabimini, & deferta ejus suscitabo. Qui dico Cyro: Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Jerusalem, edificaberis; & Templo, fundaberis.* Pergit deinde: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, & dorsa regum versam, & aperiam coram eo januas, & porte non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terra humiliabo, portas aureas conteram, & veltes ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum, ut scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israël. Propter servum meum Jacob, & Israël electum meum, & vocavi te nomine tuo; assimilavi te, & non cognovisti me. Ego Dominus, & non est amplius: extra me non est Deus: accinxisti te, & non cognovisti me.* Quæ si quis ad historiam fidem exigat, talia esse comperiet, qualia post Cyrum ipsum sciri potuissent. Et hæc tamen ducentis propemodum ante Cyrum Joseph. Antiq. lib. 11. cap. 1. est. Itaque perleçtis iis Cyru rei divinitatem summopere demiratus est. Huc etiam

conferendum est prædictum illud Isaïæ: *In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan, & jurantes per Dominum exercituum: Civitas Solis vocabitur una. In die illa erit altare Domini in medio terra Ægypti, & titulus Domini juxta terminum ejus erit in signum, & in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantis, & misset eis Salvatorem & propugnatorem qui liberet eos. Et cognoscetur Dominus ab Ægypto, & cognoscetur Ægyptii Dominum in die illa, & colent eum in hostiis & in muneribus, & vota vovebunt Domino & solvent.* Docet Josephus id completum fuisse post sexcentos annos, Ptolemæi Philometoris ævo, tum cum Leontopoli in Heliopolitana Præfectura templum Hierosolymitani simile condidit Onias. Scio aliter nonnullos sensisse, & hæc ad Sennacheribi & Plammitchi tempora retulisse. Sed & res ipsa, Templum nempe Dei in media Ægypto, & locus ipse, Civitas Solis, & rei auctori, tam perspicue designantur, ut alio torqueri posse prophetia haudquaquam videatur. Cum præsertim accedat Josephi auctoritas, quem duobus locis affirmaturum id non fuisse puto, nisi communi inter Judæos opinione receptum scisset. Atque hoc quidem *לְעִיר*, nec enim quidquam vetat, quominus *לְעִיר* ad vocationem gentium pertineat. Hierosolymorum direptionem prænuntiat Jeremias his verbis: *Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo, domus Israël, ait Dominus, gentem robustam, gentem antiquam, gentem cujus ignorabis linguam, nec intelliges quid loquetur. Tum: Conteret urbes munitas tuas, in quibus tu habes fiduciam, gladio. Promittit tamen non excisum iri funditus: Verumtamen in diebus illis, ait Dominus, non faciam vos in consummationem. Et paulo superius: Ascendite muros ejus, & dissipate, consummationem autem nolite facere: auferte propagines ejus, quia non sunt Domini. Iterum de excidio: Ejiciam vos de terra hac, in terram quam ignoratis vos, & patres vestri. Iterum: Omnes thesauros tuos in direptionem dabo. Quæ sæpius subinde iterat; tum de muro subjicit: Et post hæc, ait Dominus, dabo Sedeciam regem Judæ, & servos ejus, & qui derelicti sunt in civitate hac à peste, & gladio, & fame, in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, & in manu inimicorum eorum, & percutiet eos in ore gladii, & non flectetur, neque pariet, neque miserebitur. At nobilissimum & celebratissimum ejus vaticinium illud est, quo non Israëlitarum solum captivitatem, & victricem gentem, & penam huic ipsi olim irrogandam; sed annos etiam captivitatis exprimit: *Et erit universa terra hac in solitudinem, & in suporem: & servient omnes gentes ista regi Babylonis septuaginta annis. Cumque fuerint fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis, & super gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum, & super terram Chaldaorum, & ponam illam in solitudinem sempiternam.* Et alibi: *Hæc dicit Dominus: Cum ceperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum. Tum: Reducam captivitatem vestram. . . . & reverti vos faciam de loco, ad quem transfugare vos feci: quæ aliis locis sæpe repetita invenies. Quæ de Ephree rege Ægypti prædixerunt Jeremias & Ezechiel, eorum exitum narrat Herodotus in Euterpe; Aprien siquidem, qui idem est ac Ephree, ab Amasi captum, & in Saiticam custodiam conjectum, ac tandem morti datum fuisse scribit. Quam accurate Babylonis excidium prænuntiaverit Jeremias capite quinquagesimo, & sequenti, memoratu dignum est. A gente Aquilonari, ejusque rege expugnatum iri ait; Medis nempe, eorumque rege Cyro; Persarum quippe reges, Medorum, Persarumque reges fuisse dictos apparet ex octavo capite Danielis; reges Ararat, Menni, Afcenez, & Mediæ adversus eam præliaturos, Reges nempe Lydorum, & Armenorum, aliorumque, quos Xenophon Cyro in ea expeditione affuisse narrat. Oppugnationis quoque Babylonicæ rationem exponit Jeremias: *Siccitas, inquit, super aquas ejus erit, & arefcet. Deinde: Currens obviam currenti veniet, & nuntius obviam nuntianti, ut annuntiet regi Babylonis, quia capta est civitas ejus à summo usque ad summum, & vada præoccupata sunt, & paludes incense sunt igni.* Hæc ita contigisse testes locupletes habemus Herodotum & Xenophontem, qui Cyrum tradunt Euphratis aquas aliorum derivasse, atque ita arefacto fluminis alveo facilem sibi ad urbem capiendam transitum parasse. Ait quoque Jeremias: *Cessaverunt fortes Babylonis à prælio, bitaverunt in prædiis.* Videlicet cum Nabonidus rex Borsippam se recepit, uti narrat Berofus. Pergit Jeremias: *Incensa sunt tabernacula ejus, contriti sunt vestes ejus. Currens obviam currenti veniet, & nuntius obviam nuntianti, ut annuntiet regi Babylonis, quia capta est civitas ejus à summo usque ad summum.* Refert quippe Herodotus tantam fuisse magnitudinem urbis, ut extremis jam captis, rem nondum inaudiverint qui urbis meditullium incolebant. Idem habet Xenophon, atque orta demum luce se captos intellexisse, qui arces tenebant. At ineptum est, quod prodit Aristoteles, partem urbis aliquam die tertio se expugnatam nondum sensisse. Fieri sane id potuisset, si Peloponnesi totius ambitum Babylonicorum murorum circumscriptio exæquasset, quod perperam opinatus est. Ita error errorem trahit. Tandem Babylon Ubique dedit manum,**

Joseph. Antiq.
libr. 11. cap. 61
De bell. Jud.
libr. 7. cap. 10.

Jer. 5. 17.

Jer. 5. 15.

Jer. 5. 18.

Jer. 5. 10.

Rur. Jer. 16. 13.

Jer. 17. 1.

Jer. 21. 7.

Jer. 25. 11, 12.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

Jer. 29. 10, 14.

- inquit Jeremias, *cecidit fundamenta ejus, destructi sunt muri ejus; quoniam ultio Domini est.* Quippe partim à Persis, partim à tempore rerum edace, Macedonumque negligentia, partim etiam à Seleuco Nicatore, cum ex ejus ruinis Seleuciam ad Tigrim
- Strab. libr. 16. *condidit, consumtam refert Strabo. Reditionis in patriam pollicitationibus, Ebraeorum captivitatem solatus est Ezechiel: *Habitare vos faciam sicut à principio, bonisque**
- Ezech. 36. 11. *donabo majoribus, quam habuistis ab initio, & scietis quia ego Dominus. Et alibi: *Inducam vos in terram Israël. Rursum: *Requiescere vos faciam super humum vestram.*** Deinde: *Hæc dicit Dominus Deus: *Ecce ego assnam filios Israël de medio nationum ad quas abierunt, & congregabo eos undique, & adducam eos ad humum suam.** Quæcumque vero ad-
- Ezech. 26. 27. *versus Tyrum futura denuntiat, sive per Nabuchodonosorem, sive per Alexandrum*
28. *sive, quod potius reor, per utrumque exitum facta sint, esse certe facta constat, planeque verax hoc oraculum habendum est. Hadrianum Parvillerium è Societate Jesu, virum candidissimum & Arabice doctissimum, qui decem annos in Syria egit, memini me audire aliquando cum diceret, sibi olim ad collapsas Tyri ruinas accedenti, & rupes mari prætenas, ac disjectos passim in litore lapides procul spectanti, Sole, fluctibus, & auris deterfos ac levigatos, & siccandis solum piscatorum retibus, que tum forte plurima desuper expansa erant, utiles, venisse in memoriam hujus prophetia Ezechielis de Tyro: *Dabo te in limpidissimam petram: sicario sagenarum eris, nec edificaberis ultra, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus.** At Daniel non tam vaticinia fundere videtur, quam narrare historiam, cum de quatuor regnis per quatuor bestiarum visa sibi adumbratis disserit. Ipse vero velamen sibi detrahit, cum citra omnem ambagem ait: *Aries, quem vidisti habere cornua, rex Medorum est atque Persarum. Porro hircus captivum, rex Græcorum est; & cornu grande, quod erat inter oculos ejus, ipse est rex primus. Quod autem fracto illo surrexerunt quatuor pro eo, quatuor reges de gente ejus consurgent, sed non in fortitudine ejus. Et post regnum eorum, cum creverint iniquitates, consurget Rex impudens facio, nempe Antiochus. Quæ adeo perpicua sunt, ut expositione non egeant. Legi tantum velim libri decimi Archæologiae Josephi caput decimum. Cladem Judæis à Vespasiano & Tito inferendam clarissime denuntiat Daniel, dicens: *Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit populus, qui cum negaturus est. Et civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem partum multis hebdomada una; & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in Templo abominatio desolationis.* Undecimo præterea capite de prioribus Persarum regibus ad Xerxem usque, tum de Alexandro, ejusque successoribus Lagidis & Seleucidis ea narrat, quæ non aliam sibi deposeunt interpretationem, quam ipsam historiam. Atque hoc caput est, quod Alexandro prælegisse Jaddum Judæorum Pontificem Josephus memorie prodidit. Horum itaque pondere oppressus Porphyrius, Christianæ veritati semper infestus, eo recurrit, ut commentitium, & post res gestas, Antiochi videlicet Epiphani temporibus, confictum hunc Librum fuisse responderet: sed per fugium illud quarta nostra Propositio præclaudit. Uecumque accipiantur ista Osæ:*
- Osæ. 3. 4. 5. *Dies multos sedebunt filii Israël sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Theraphim; & post hæc revertentur filii Israël, & quærent Dominum Deum suum, & David regem suum, & parvæbunt ad Dominum, & ad bonum ejus in novissimo dierum: sive hæc referas ad Babylonicam captivitatem, & Ebraeorum reditum ad pristinas sedes, Zorobabele duce, juxta complurium Judæorum sententiam; sive ad calamitates à Judæis post Christi necem toleratas, ut Hieronymo & multis Christianis visum est, constat utique ad eventum esse perducta. Israëlitarum quoque deportationem in Assyriam prædixit, cum diceret: *Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ: quia luxit super eum populus ejus, & aditni ejus super eum exultaverunt in gloria ejus, quia migravit ab eo: siquidem & ipse in Assur delatus est, manus regi ulteri.**
- Hier. in Osæ. 3. *Idem jam ante significaverat his verbis: *Et factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor: Egyptum invocabant, ad Assyrios abierunt.** Terræ motum, qui tum contigit, cum Pontificale munus usurparet Ozias, biennio ante prædixerat Amos, ut supra ostendi. Israëlitarum quoque captivitas, & reditio domum manifeste ab eo prænuntiata sunt: *Israël captivus, inquit, migrabit de terra sua. Et alibi: *Conciviam in omnibus gentibus domum Israël.** Deinde: *In gladio morientur omnes peccatores populi mei. Et mox: *In die illa suscitabo tabernaculum David quod cecidit, & reedificabo illud sicut in diebus antiquis. Tum: *Et convertam captivitatem populi mei Israël, & edificabo civitates desertas, & inhabitabunt; & plantabunt vineas.*** Hierosolymitanum excidium à Zacharia apertissime prædictum est: *Ecce venient dies Domini, & dividetur spolia tua in medio tui: & congregabo omnes gentes ad Jerusalem in prælium, & capietur civitas, & vastabuntur domus, & mulieres violabuntur, & egredietur media pars civitatis in captivitatem, & reliquum*
- Amos 1. 1. & 3. 15.
- Amos 1. 11. & 9. 9, 10, 11, 14.
- Zach. 14. 1. 2.

populi non auferetur ex urbe. Quæ siue referas ad cladem ab Antiochò Epiphane Hierosolymis illatam, siue, quod probabilius videtur Eusebio, ad alteram à Vespasiano & Tito inflatam, in qua ingens populi Judaici pars perit, & ad aliam ab Hadriano, cum magna civium multitudo Urbe eiecta est, vere utique *χρησμός τελειωσέως* est, Facendum ergo est multas Prophetias Veteris Testamenti veraces esse. Quod erat probandum.

PROPOSITIO SEPTIMA.

Multæ habentur in Veteri Testamento Prophetiæ de Messia.

I. *Vetus Testamentum, forma & apparatus Novi.* II. *Duplex predictionum genus, per signa, & per verba.* III. *Multiplex predictionum genus per verba.* IV. *Exploditur duplex Grotii sententia; prior, qua statuit universis de Christo prophetiis duplicem inesse sensum; primarium, qui ad historiam temporis quo editæ sunt referendus sit; secundarium, qui ad Christum: V. altera, qua negat predictionibus vim argumenti inesse.* VI. *Duplex eorum secta, qui predictum fuisse Christum negarunt.* VII. *Colliguntur vaticinationes Christi prenuntia: è Genesi, VIII. Exodo, IX. Numeris, X. Deuteronomio, XI. Libro Josue, XII. Libris Regum, & Paralipomenon, XIII. Libro Job, XIV. Libro Psalmorum, XV. Prophetia Isaia, XVI. Prophetia Jeremie, XVII. Lamentationibus Jeremie, XVIII. Prophetia Baruchi, XIX. Prophetia Ezechielis, XX. Prophetia Danielis, XXI. Prophetia Osee, XXII. Prophetia Joëlis, XXIII. Prophetia Amos, XXIV. Prophetia Abdiæ, XXV. Prophetia Micheæ, XXVI. Prophetia Habacuc, XXVII. Prophetia Sophonia, XXVIII. Prophetia Aggei, XXIX. Prophetia Zacharia, XXX. Prophetia Malachia, XXXI. & Libro primo Machabeorum. XXXII. Ethnici à Judæis, Judæorumque libris edocti Messiam prænoverunt & expectarunt. Astutissima Josephi fallacia deprehenditur. XXXIII. Pseudochristi complures.*

I. **M**EMINERIMUS hanc nos supra Messia definitionem dedisse: *Messias Vetus Testamentum prædictus, à Deo divinitus missus ad hominum salutem, & à Prophetis in Veteri Testamento prædictus.* Quod si nulla in Veteri Testamento extaret de Messia prædictio, nullus utique vel foret, vel fuisset Messias, & rei non existentis neque exitura ea esset definitio; qualis Geometrica definitio puncti est, & lineæ, & superficiei, quæ nec fuerunt unquam, nec esse possunt. Verum rem aliter se habere declarabit hæc Propositio, qua sparsa per Veteris Testamenti libros oracula de Christo in unum colligemus. Quod priusquam facere aggredimur, verba præfari licet, quibus alloquitur Romanos Paulus: *Ei autem qui potens est vos confirmare, juxta Evangelium* Rom. 16. 25, 26. *& prædicationem Jesu Christi, secundum revelationem mysterii temporibus æternis tæciti, (quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum, secundum præceptum æterni Dei, ad obediendum fidei) in cunctis gentibus cogniti, soli sapienti Deo per Jesum Christum, cui honor & gloria in secula sæculorum: & hæc quibus Corinthios compellat: Loquimur Dei* 1. Cor. 2. 7. *sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante secula in gloriam nostram: & ista Petri: Redempti estis pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi, & incontaminati, præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem novissimis temporibus propter vos. Cum enim ab omni retro ævo tempus definivisset Deus omnipotens, quo humanum corpus subire Filium unigenam decreverat, variis signis ac figuris, multisque Prophetarum prædictionibus, qua claris & apertis, qua obscuris & involutis, ad futuri beneficii spem homines excitavit. Quorum ne intercederet aliquando memoria, quam vel ad splendorem rei ac dignitatem, vel ad sanctorum hominum alendam pietatem, vel ad impiorum contundendam pertinaciam retineri decebat, singula certis Dei jussis in literas diligenter relata sunt. Ad hæc si quis mentem simplicem* 1. Petr. 1. 20.